



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

V. Tribuit deinde Patroclo Zozimus ordinationes Episcoporum provincæ  
Viennensis & duarum Narbonensium, secundùm morem antiquum.  
Inquiritur in antiquatem istius consuetudinis, & ostenditur antiquam ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

*Tresbyter, sive Diaconus, aut deinceps inferiore gradu sit, ad nos venerit, sciat se omnino suscipi non posse.*

V. Post impositam Gallicanis Episcopis necessitatem accipiendarum formatarum ab Episcopo Arelatensi, cui per consequentiam tribuebatur honor primi Galliarum Metropolitanani, descendit deinde Zozimus ad ordinationes Episcoporum provinciarum Viennensis ac duarum Narbonensium; quarum auctoritatem Metropolitanum Arelatensem tenere constituit secundum morem antiquum, irritum & inane decernens si quid contra tentaretur, & Episcopum etiam ordinatorem gradu suo deiciendum esse pronuntians. *Iussimus autem precipuam, inquit, sicuti semper habuit, Metropolitanus Episcopus Arelatensem civitatis in ordinandis sacerdotibus teneat auctoritatem; Viennensem, Narbonensem primam, & Narbonensem secundam provincias ad pontificium suum revocet. Quisquis vero posthac contra apostolicæ sedis statuta & præcepta majorum, omisso Metropolitanæ Episcopi, in provinciis supradictis quemquam ordinare presumpserit, vel is qui ordinari se illicitè siverit, uterque sacerdotio se carere cognoscat.* Consuetudo antiqua cujus hoc loco meminit Zozimus, antiqua non erat, & ante annos tantum viginti cœperat in Concilio Taurinensi, non quidem omnium Episcoporum qui per tres illas provincias ordinandi forent consecrationem Arelatensi Episcopo tribuens, sed eorum tantum qui in civitatibus Arelatensi civitati vicinis constituendi essent, ut pater ex canone secundo illius Concilij. Verum Patroclus subsidium ab audacia mutuatus, Zozimo ista persuasit tanquam rem positam extra omnem controversiam. Vnde factum ut cum sequenti tempore Leo Magnus retractaret privilegia Arelatensis Ecclesiæ, non dubitaverit dicere nullum Arelatensem Episcoporum ante Patroclum habuisse jus ordinandum Episcoporum extra provinciam Viennensem, & hoc ipsum quod Patroclo temporaliter videbatur esse concessum, sententia postmodum meliore sublatum esse, nimirum à Bonifacio primo.

Leo I. epist. 89.

VI. Hic locus me admonet ut gravissimam difficultatem, quæ hætenus exercuit industriam hominum eruditorum, & cujus occasione captum consilium est ordinandi Episcopum Arelatensem vicibus apostolicæ sedis, in medium proferam, undenam videlicet auctoritatem Metropolitanæ Episcopi traxerit Episcopus Arelatensis adversus civilem Imperij dispositionem & canones Nicænos, qui constantem in ecclesiastico ordine disciplinam fixerunt, adjudicato provincia ecclesiastica primatu Ecclesiæ illi quæ con-

stituta erat in civitate cui jus metropolitanicum tributum erat in laterculo Imperij. Nam ante Concilium Nicænum Marinus Arelatensis, qui Concilio Arelatensi interfuit & primus inter Episcopos nominatur in epistola synodica ad Silvestrum, non vendicabat sedi suæ jus metropolitanicum, sed e contra dicitur esse Episcopus provinciarum Viennensis in veteri catalogo Episcoporum qui ad Arelatensem synodum convenerunt. Itaque per universum orbem, si Africam excipias, ea fuit constans regula priscis temporibus, illum debere esse Metropolitanum qui Episcopus erat in civili metropoli provinciarum. Africam excipiendam esse dixi; cujus Episcopi, præter Carthaginensem, hæc lege non tenebantur; quippe qui antiquiorem ordinatione Episcopum pro Primatu habebant, nulla habita ratione civilium metropoleon, ut patet ex Concilio Africanis & multis veterum scriptorum testimoniis; salvo jure Primatum Mauritanæ & Numidiæ, quibus in Concilio universali Africæ (ut Marca observavit) primus locus post Carthaginensem dabatur ob dignitatem & vetustatem provinciarum, quamvis essent Primatibus Byzaceno, Tripolitano, & Sitifensi posteriores quoad ordinationem. Sed Africi, licet Primatibus, id est, Episcopis ordinatione antiquioribus, primas sedes in Concilio generali tribuerent, nulli tamen Ecclesiæ speciali dignitatem primatus vindicabant posthabita metropoli civili, ut factum in Ecclesia Arelatensi; quæ in jus metropolitanicum invasit in provincia Viennensi adversus Viennensem provinciam Metropolitanam. Ita enim se habebat dispositio civilis, postquam Romanis Principibus placuit Narbonensem veterem dividere in tres provincias, in Narbonensem videlicet, Viennensem, & Alpes maritimas, ut Vienna vetus colonia metropolis esset provinciarum Viennensis, cui nomen dabat, & Arelas una esset earum urbium quæ Vienna contributa erant. id & quod & Ammianus Marcellinus & Notitia veteres ostendunt.

VII. Amplificata deinde civitatis Arelatensis gloria post Concilium illic habitum ævo Constantini Magni, ex cujus nomine dicta est Constantina, aucta etiam ob moram ejusdem Constantini & sequentium aliquot Imperatorum in ea urbe factam, præcipue Constantij filij Constantini, qui illic anno ccccliii. ob tricimum imperij sui annum theatrales ludos & Circenses ambizioso apparatu edidit, ibidemque proximis Calendis Januariis septimum Consulatum inivit, & ex more ludos Circenses fecit. Ex ea urbis gloria factum ut veterum scriptorum monumentis valde celebrata sit, adeo ut Am-

Vide R. J. 11.  
Ecc. in Notia  
Ferdinandus 17.  
274. 275.

Marca de S. J. 11.  
Primat. 7. 11.  
Notia. 11. 11.  
Not. ad 11.  
11. 11.

Ann. 11. 11.  
11. 11. 11.  
11. 11. 11.  
11. 11. 11.  
11. 11. 11.